

Pars prima de vniuerso.

se suos presciantur igitur exterminius sui cultus. Quomodo ergo illud non auerterunt. Amp. si solo dicto honores et potentiam dare possunt hominibus et auertere ab eis omne genus infortunii quomodo seipos exonerari et deprimi atque conculcari passi sunt et adhuc patiuntur. ut omnis honorificentia culture sue exterminata sit a regno christianorum et a regno sarracenorum et aliquando a toto orbe romano an fatauerunt imperatores romanos in tanta sui contumelia et depressione. Amp. certum est gentes iudeorum et gentem christianorum gentesque sarracenorum ignominiosissimas esse omni cultui eorum et eos ex lege sua totius studiis ac viribus persequi. Quomodo ergo solo dicto cum hoc possint non adeo infortunat siue infaustat unumquodque eorum qui nascuntur in aliqua istarum gentium ut nihil possit circa eos. De hijs autem et alijs qui circa eos sunt expedienda me et te in tractatu proximo post istum si deus voluerit.

Uoniam autem mundo sublimari re-
quiritur multos posuerunt et philosophi et alij animam mundi ut plato et sequaces eius alij vero virtutem alij eiusdem mundi totius regitiam necnon et alias virtutes occultas et demones etiam consulere rebus humanis. Conueniens est perscrutari de hijs quantum pertinet ad presentem tractatum et primum circa animam mundi negociandum mihi videtur anima enim corporis que animam gubernatrix indubitanter est reginaque atque impatrix ipsius Imperium autem ipsum et dominatio super illud appetit ex obedientia tam ipsius totiusque membrorum. Similiter et prudentia ex inquisitione eorum que corpori ipsi et membris necessaria sunt sicut tectum et tegimen cibum et potum. Albusamar etiam astrologus totam fabricationem atque formationem corporum animalium attribuit animabus eorum siue naturis earum quasi anima leonina ex materia de qua generatur corpus leonis assumit vnde format sibi dentes et unguis. Similiter et anima vrsina. Nec mirum est si hoc attribuat animabus cum Aristoteles similiter sentire videntur de seminibus virtutibus cum predicti tibi. Ut quid enim in seminibus virtus est formandi flores et folia et fructus corporaque omnia vegetabilium et non potius in seminibus vegetabilium est virtus formandi corpora hominum cum tanto nobiliora debeant esse semina animalium nobiliora virtutes seminum ipsorum quanto nobiliora sunt corpora animalium corporibus vegetabilium. Tota igitur gubernatio mundi ex anima ipsius

erit. Presertim cum plato expressisse posuerit ipsum esse animal intelligens diuine prudentie sanctionem. Quod autem induxerit eum ad hoc ut utrum totum mundum id est vniuersum corpus posuerit esse animal an solum celum id est partem illam vniuersi corporis que est a luna supra et tota mobilis circulariter que scilicet continet nouem celos mobiles de quibus in precedentibus audiuit an totum vniuersum quod constat scilicet ex nouem celis istis et quatuor elementis dubium esse potest quoniam Aristoteles et sequaces eius solum celum id est partem illam que est a luna supra vel forsitan celum stellarum fixarum animam esse posuisse videntur et auicenna euidenter dicit quod celum est animal deo obediens. Quatuor autem elementa animata ponere non videtur tanto philosopho congruisse quis enim dicat ignem vel aerem animatum esse. Similiter aquam vel terram neque enim vita in eis apparet nec aliqua species motus preter motum localem nisi violentus que nullomodo vitalis est. In omnibus autem vegetabilibus apparet motus incrementi et decrementi et Aristoteles dicit quod incrementum atque decrementum videtur autem ex hijs que apparent in terra et a quibus virtutem quandam generatiuam vegetabilium et etiam animalium habere vtraque et lex hebreorum atque doctrina assentiunt in hoc et doctrina christianorum atque fides non dissentit ab hoc. Ego autem iam dedi tibi causas et probationem in hoc in precedentibus et dixi quod terra per hoc quod est terra non habet virtutem generatiuam animalium aut vegetabilium. Nullum enim corpus per suam corporeitatem potest generare nisi corpus sue speciei terra terram solum et aqua aquam solum. Quod igitur alia corpora generant vicia animalia aut etiam vegetabilia ex alia virtute super addita est virtus que et hoc confitentur prenoiate leges que scilicet ex benedictione creatoris datum est vtrique generare nobiliora quam ipse sint et insinuant lex hebreorum in primo suo verba creatoris quibus intelligitur ista benedictio vicia quibus dicitur producant aque et tibi producat terra etc. Tu vero debes scire quia in animatio quatuor elementorum non est causa que debeat prohibere esse animal quoadmodum in animatio quatuor humorum in corpore humano non prohibet hominem esse animal et est istud exemplum sicut isti platonis puenientissimum. Cum inter hominem et mundum quandam posuerit esse similitudinem ut homines mundum minorem non dubitauerit nominare. Secundum platonem etiam sciendum est tibi